

quæque intelligi posset, sed minutis frustis & fragmentis, quæ sunt tanquam Sibyllæ carmina, aut ænigmata torquendis & divexandis ingeniis omnium optimis facta. Eadem hæc querela juventuti Constantinopolitanæ nobiscum communis fuit. Nam (ut exemplum exhibeamus) quid illos juvare poterant subtilitates istæ actionum directarum, utilium, in factum, & præscriptis verbis, de quibus supra diximus: quando omnis hæc juris pars non nisi in formulis Latinis consistebat, ipsi autem Græce lites agitant: tum formulæ istæ ducentos ante annos à Constantino erant sublatae. Nos vero quam imprudenter faceremus, si negemus in Justiniani libris hanc disputationem esse frequentissimam, quæ tamen fructum & utilitatem affert omnino nullam.

CAP. XIII.

De successu & auctoritate librorum Justiniani.

Videamus jam quid acciderit, postquam egregii hi libri in vulgus sunt editi. Primum hi libri, ut ut Latine scripti, in Græcia tamen manserunt, ubi prælecti sunt in scholis Constantinopolitana, Berytensi, aliisque Universitatibus, & consequenter in judiciis usurpati & observati: ita
ta.